



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 888. Usque Ad Annum 1000

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117921

§. 19. Balduinus Comes Flandriæ excommunicatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66313)

Sæculum IX. rolum receperunt, qui privatis rationi-
 A.C. 893. bus Odonis Imperium averfabantur.

§. XIX.

*Balduinus Comes Flandriæ excommu-
 nicatur.*

*Flod. lib. IV.
 c. 7.*
 In eodem Concilio Remensi Episcopi
 Balduino Flandriæ Comiti complu-
 rium delictorum reo Excommunicationem
 comminati sunt. Is enim Sacerdotem
 virgis cædi jusserat, & quibusdam
 Presbyteris ab illis Ecclesiis, in quibus
 ordinati erant, abstractis, repugnantibus
 Episcopis, alios constituerat. Fundum
 Ecclesiæ Noviodunensi a Rege collatum,
 & Monasterium S. Vedasti Attrebatum u-
 surpaverat; tandem Sacramentum vio-
 laverat Regi præstitum, & ab eo defe-
 cerat. Præterea diu ante ab Episcopis
 admonitus non resipuerat. Ergo Con-
 cillii Remensis Patres censebant, Baldui-
 num Excommunicationis pœna dignum
 esse; verumtamen, cum pensarent,
 quantum hic vir Ecclesiæ & Reipublicæ
 prodesse posset, Censuram differendam
 esse, eique longius tempus, quo errata
 emendare posset, concedendum existi-
 marunt.

Hanc sententiam Episcopi data Epi-
 pistola Synodica Balduino significarunt,
 & aliam ad Episcopum ipsius Diocœsa-
 num,

num, nempe Dodilonem Cameracensem, ^{Sæculum IX.}
 dederunt, qui, ad Synodum vocatus, ^{A. C. 893.}
 excusaverat se ob latrocinia Norman-
 norum vias publicas infestantium. Hunc *ibid. c. 6.*

rogabant Episcopi, ut Comitem Baldui-
 num severe exhortaretur ad emendan-
 da præterita; Episcoporum Epistolam ei
 prælegeret, si præsens esset, absenti ve-
 ro eam per Archidiaconum suum trans-
 mitteret, qui sensum eidem diserte ex-
 plicaret. Si ad Balduini conspectum
 pervenire non posset, Archidiaconus in
 aliquo loco, in quo ille Religioni illusis-
 set, se præsentem literas publice recitari
 juberet. Postea vero, nisi Balduinus
 respiceret, nemo nec Monachus, nec
 Canonicus, nec Christianorum aliquis,
 sub pœna anathematis, cum ipso com-
 municare præsumeret.

Si Hetilo Episcopus Noviodunensis
 Attrebatum venisset, Dodilo se ad eum
 conferret, & cum ipso deliberaret, quid
 secundum Canones agendum esset, &
 illud deinde datis literis Archiepiscopo
 suo communicarent.

§. XX.

Formosi Literæ in Franciam datæ.

Fulco, corona Regi Carolo imposita,
 rem celeriter per Epistolas Papæ in-
 dicavit, petens consilium & auxilium. *ibid. c. 2.*
 Ille complures Epistolas hac in causa de-
 dit;